





1870 1615 11 10

DISPUTATIO DE TUTELIS.

Quam
Divinâ Aspirante Clementiâ

In
Illustri Academia Lipsiensi

Preside
M. JACOBO BLÜMELIO Lipsiensi,
J. U. Licenciando.

Ventilandam proponit
MICHAEL SCHVARTZBACHIUS, Zit-
tà-Lufatus.

Ad diem 12. Januarij, horis locog₃ consuevis.



Typis BISMARCIANIS, Anno cl^o l^o C XV.



VIRIS

*Amplissimis, Consultissimis, Auctoritate, longoque
rerum usu praestantissimis,*

DN. DN.

CONSVLIBVS ET SENATO-
RIBVS, inclytæ Sittaviensium Reipublicæ pru-
dentissimis, Patribus patriæ dignissimis,

*Dominis Mecænatibus, Patronis & Promotoribus suis patriam
sanctitate etatem summè colendis.*

Hoc

Academicum exercitium, Debitæ gratitudinis τεκμήριον

Et

*Perpetuæ observantiæ σύμβολον, Strenuè loco hu-
militer offerre voluit; certè debuit.*

Respondens,

SALUTEM,

QUANTA beneficia, Viri Amplissimi, Consultissimi, Patroni omni observantia cultu perpetuo honorandi, Fautores & Promotores singulares, quanta inquam beneficia à Vobis in me collata fuerint, nulla præterit dies, quàm acerrima & debita quædam oculis meis quàm maximè intentis eorundem fiat contemplatio. Quamvis verò haud ignorem, mearum virium non esse, pro tam gravibus beneficijs gratias persolvere dignas, utpote, qui talis sim, cui nec urbis nec ruris opes, nec fluvii nec nivæi effluant dona metalli, nibilo tamen minùs non committam, ut me quis ingratum meritò appellare possit.

Apud animum itaq; meum media & occasiones sæpissimè fui meditatus, per quas hoc meum Exærcitias Symbolum vobis saltem qualitercunq; indicarem & exhiberem. Ubi, cum meditabundus diu multis dubitationum procellis obrutus agitarer, omniaq; mihi, per quæ aditum comparare possem, præclusa viderentur, ad veram tandem viam me reduxit tempus instans, quo talis Christianorum mos pius & salutaris observari solet, ut alter alteri non solùm ineunte novo anno prospera cuncta precetur, verùm etiam DEO pro omnibus beneficijs tam spiritua-

libus quàm corporalibus per Magistratum benignè concessis gratias agat dignas. Eò & Romani quoq; & aliæ gentes collimâre, uti videre licet ex versibus Ovidij, inquentis:


At cur læta tuis dicuntur verba Calendis,
Et damus alternis, accipimusq; preces.

Quapropter prædicti moris nunc & ego recordatus vobis hæc studiorum meorum primitias ad testificandam gratitudinem & observantiam debitam Strenæ loco consecratas humiliter offero, petendo, ut chartaceum hoc à mea tenuitate munusculum bilari fronte & benigno animo accipiatis, mihi studijsq; meis, ut ante hæc, ita imposterum favere pergatis, majores aliquando & uberiores ingenij & industriae meæ fructus expectaturi. Orandus deinceps DEUS, ut diu Vos florentes conservet ad sui nominis gloriam & totius Reipublicæ emolumentum. Benè & feliciter valete. Lipsiæ ex Musæo meo, Anno DEI Hominis ineunte cId Id C XV.

V. A. & P.

Subjectis,

Michael Schwartzbachius Z.



DE TUTELIS,

THESIS I.

Tutela non à tollendo, sed tuendo nomen habet; unde etiam ij, qui eam administrant, tutores quasi tutores & defensores appellantur.

II.

Est tutela seu ut Germani dicunt *die Vormundschaft*/vis ac potestas in capite libero (quod ad tutorem referri placet) ad tuendum eum, qui per ætatem seipsum defendere nequit, jure civili data & permessa.

III.

Hinc tres tutelæ species constituuntur. Testamentaria, Legitima & Dativa. Est & Jure Saxonico Judiciaria, quâ tutor judicarius mulieri ad judicia & alias solennitates constituitur.

IV.

Testamentaria tutela est, quæ à parentibus liberis suis impuberibus in sacris existentibus testamento datur.]

V.

Ex quo sequitur, matrem vel aviam maternam cum liberos in potestate non habeant, illis testamento tutores efficaciter dare non posse.

VI.

Nec patrem filio emancipato, datum tamen Magistratus confirmabit.

VII.

Exhæredato autem filio tutorem à patre rectè dari posse puto, nec eo casu confirmatione opus erit.

Δ III.

Porro liberis tutor datus, nepotibus simul ac cæteris ulterioris gradus descendantibus constitutus intelligitur. Filiis autem, nepotes excluduntur: Aliter enim filii, aliter nepotes appellantur.

IX.

Omnes itaq; tutores esse possunt, ut patres familias, filii familias, qui in publicis causis pro patribus familias habentur, nisi expressè prohibiti reperiantur.

X.

Prohibentur autem quidam naturâ, quidam moribus, quidam legibus.

XI.

Natura, qui animi vel corporis vitio laborant, ut infantes, minores, furiosi, mente capti, muti, surdi, cœci.

XII.

Furiosi tamen & minores rectè tutores dari possunt, sed administratio tamdiu eis denegatur, donec is sanæ mentis, hic major factus fuerit.

XIII.

Interim ne pupillus indefensus relinquatur, tutor à Magistratu dandus erit.

XIV.

Muti verò & surdi tunc tutelæ onere aggravari nequeunt, si simul naturâ ita sunt, nam si ex accidenti sit mutus vel surdus tutelam administrare poterit.

XV.

Moribus à tutela arcentur fœminæ. Hoc enim munus masculorum & publicum est.

XVI.

Servi quoq; à Magistratu tutores dari non possunt; Testamento

stamento tamen dati non repelluntur, sive sint proprii, sive
alieni: Ita tamen, ut illi vel cum libertate vel sine eadem,
hi sub conditione si manumittantur, dentur.

XVII.

Inferi hinc haud incommodè potest illa quæstio. An ser-
vus proprius simpliciter testamento datus directam vel fi-
dei commissariam libertatem consequatur? Nos ei dire-
ctam tribui contendemus.

XVIII.

Illud non interest, an tutor purè vel sub conditione, ad
certum tempus, vel ex certo tempore detur.

XIX.

Legibus prohibentur tutores esse, & dari incertæ aut
turpes personæ, item creditores debitoresve, etsi sint fra-
tres vel alii transversales pupilli.

XX.

Hic se alia quæstio offert: Num Iudæi & hæretici rectè
Christianis tutores dentur? Negativam propugnantibus
adstipulamur.

XXI.

Sed an creditor debitorve pupilli, qui tutelam suscepit,
tutor maneat, non omnium eadem est opinio. Nos eum
tutorem non manere affirmamus.

XXII.

Constituuntur autem tutores pupillis imuberibus,
etiam ignorantibus & invitis.

XXIII.

Et nihil refert cujusq; sexus, dignitatis aut conditionis
sint imuberes, cum & fœminis & regibus & illustribus per-
sonis tutores dentur.

Certæ

XXIV.

Certæ tamen rei vel causæ tutor dari nequit. Personæ enim non rei vel causæ tutor datur.

XXV.

Succedit deficiente testamentariâ tutelâ Legitima, quæ nec datur nec confirmatur à prætore, sed defertur ipso jure à lege 12. tabularum, quâ proximis agnatis tutelæ administratio defertur.

XXVI.

Etsi autem olim soli agnati ad tutelam impuberis vocarentur, tamen cum hodiè jure novissimo differentia successionis inter agnatos & cognatos exæquata sit, promiscuè hi quoq; tutelæ munere fungentur. Juri enim congruit, ut qui successionem sperat, bona pupilli tueatur, ne malè consumantur, aut damni quid minimum sentiant. Eò enim tutela redit, quò hæreditas pervenire solet.

XXVII.

Jure Saxonico agnati præferuntur cognatis, & si plures sint in eodem gradu, senior tutelæ onere aggravatur, si verò proximior, agnato sequenti tutela defertur, qui administrat, donec is annum vicesimum quintum excedat, *lx. art. 23. lib. 1. Landrecht/ & in pr. Weichbild. n. 49.* ubi dicitur: Der nechste ebenbürtige Schwerdmagen ist Vormund/ vnd ist er selbst zu seinen Jahren noch nicht kommen/ so soll sein Helffer seyn ein ander ebenbürtiger Schwerdmagen/ vnd soll als lange Vormund seyn/ biß die Kinder zu ihren Jahren kommen/ oder biß ihr rechter Vormund ihnen vorstehen mag.

XXVIII.

Huc referenda est tutela, quæ matri & aviæ conceditur. Hæ enim cuius legitimo tutori præferuntur, dummodo secundis nuptiis, S^Cti Vellejani, aliisq; legum auxiliis specialiter

liter renuncient, & pupillis indemnitate nomine bona sua obligent.

XXIX.

Sed an mater ob secundas nuptias tutelam liberorum amittens, tutoremq; pupillis, quod omninò facere cogitur, petens mortuo secundo marito eam reassumere possit non frustrà quæritur? Nòs consideratis utriusq; opinionis fundamentis negativam defendemus.

XXX.

Vt ut aliud statuendum videatur, si tutelam fortè alicui nuptura deposuerit, cui tamen postmodum non nubit.

XXXI.

Ad tutelam hanc legitimam pertinet, quod proximo agnato ex aureâ Caroli IV, bullâ administratio Electoralis hæredis impuberis usq; ad annum 18. concedatur. Unde quæstio oritur. An per testamenti factionem hæc ipsi auferri possit? Negativa opinio ut melior ita & verior nobis videtur.

XXXII.

Cessantibus prioribus tutelæ speciebus Dativa succedit, quæ à Magistratu, cui id à lege. Scto aut principe concessum est, ad petitionem matris vel propinquorum constituitur.

XXXIII.

Emergit exinde spinosa quæstio. Num tutelæ datio sit imperii vel jurisdictionis? Nos contrà Muscornium & alios, tutelæ dationem neq; jurisdictionis simplicis, neq; imperii esse, sed certis personis per expressam legis concessionem competere, contendemus.

XXXIV.

Quamvis hodiè ex generali consuetudine & vigore ordinationis

B

dinationis

dinationis politicae Caroli V. de anno 1548. t. Von Pupillen
vnd minderjährigen Kindern vnd Tutorn / I. So wollen wir à
quocunq; Magistratu tutores dentur.

XXXV,

Sed si pupillus ratione domicilij & facultatum diversos
habeat judicet, quæritur, uter eorum in datione sit potior?
Nos ad illum non ad hunc jus constituendi tutorem specta-
re arbitramur.

XXXV.

Præfatis modis constituta tutela tutor administratio-
nem sibi à Magistratu legitimè demandatam suscipere ne-
cesse habet, ita tamen ut inventarium conficiat, & juramen-
tum præstet, se omnia facturum, quæ in rem sunt pupilli,
nec non de indemnitate pupilli satisdet.

XXXVII.

Hinc non prætereunda est illustris quæstio: An ea pigno-
ribus vel fidejussoribus expediri possit? His jure Justinia-
neo propter textus expressos eam faciendam concludimus.
Hodie verò ex sanctione politicae Carolinæ in comit Aug.
1548. requiritur hypotheca bonorum, Bey verpfandung als
er seiner Haab vnd Güter / so viel derer von nöthen.

XXXVIII.

Si verò tutor fidejussorum invenire, ac propter inopiam
satis dare non possit, juratoriae cautioni locus non erit.

XXXIX.

Ritè itaq; suscepta tutela officium tutoris est, ut pupil-
lum tam in, quàm extra judicium defendat, ipsi de alimen-
tis pro modo facultatum & patrimonij prospiciat, res ipsius
benè administret, autoritatemq; pupillo in ipso negotio ge-
rendo præstet.

XL.

Hic lubet sequentem movere controversiam. Num sine
auto-

autoritate tutoris pupillus obligetur? Nos sine ea, nec naturali obligatione obstrictū asserimus, nisi dolo malo in re alienā versatus, vel ex contractu locupletior & ditior factus sit.

XL I.

Res quoq; quæ servari nequeunt, tutor alienare potest, reliquas tūm demum, si alienatio judicis decreto cum causæ cognitione approbetur.

XL II.

Extinguitur tutela varijs modis. Ex pupilli persona, pubertate, morte & capitis deminutionibus.

XL III.

Ex persona tutoris capitis deminutione, maximā & mediā, diei eventu ac conditionis appositę existentiā. Excusatione demum & suspecti crimine.

XL IV.

Hoc loco elegans movetur quæstio. Num tutor ob latam culpam remotus fiat infamis? Negantibus subscribimus.

XL V.

Quod si tutor ante susceptam tutelæ administrationem inops sit, & finita illa dives reperiatur, num id ex pecuniā pupilli acquisivisse, & tanquam suspectus judicandus sit? Negativa & juri & æquitati magis consentanea.

XL VI.

Actiones duæ finita tutela competunt. Directa una, altera contraria. Illa datur pupillo, ut rationem omnium gestorū & omissorum tutor reddat: Hæc competit tutori contrā pupillum ad recuperanda ea, quæ sibi debentur, dummodo officij ratione sumtus fecerit, vel obligatus sit.

XL VII.

Claudat hanc disputationem nostram. Non à tutelæ delatione, ut voluit *Gerh. dec. 3. q. 10.* sed ejusdem excusationis rejectione appellandum esse.

B 2

I, An



- I. An tutor teneatur pecuniam pupilli fenori dare?
- II. An pupillus possit adire hæreditatem sine autoritate tutoris?
- III. An transfuga maneat tutor?

AD

Dn. M. IACOBVM BLÜMELIVM LIP-
fiens, I. V, Licentiandüm, Præsidentem,
Amicum suum.

Tutela quid sit, & quotuplex, & quibus
Tandem resolvatur modis; quod exhibes
JACOBE, disputationis Judici,
Strophas q̄ litium eruditus expedis:
Næ luculentam das acuminis tui,
Et Juris Vtrius Licentie, notam.

Georgius Freywaldt.
Phil. & J. V. D.

AD Dn. RESPONDENTEM

ΠΙΝΔΑΡΩ ἀνδαέται νόω ἐμμελέως ἀπ' ἀλαθεί
μάρναται αἰδίως ἀρεταῖσι πόνθ' ἀπὸ δαπάν' ἀμφί
τίμια, ἔτ' ἀρεταῖ παρ' ἀκύνδυνοι ὠκυμόροισιν
ἀνδράσιν, ἔτι ἐνὶ χθονὶ, ναυσὶ ἐν ἔτι τε κοίλαις.
εἰ ὡς: Λονίας ἀφ' ὧν σθένε' ἀσέ' ἀράρας

μάριπτε

μάσπετε Μελαρρύαζ, Φρενὶ καίκε μετέρχε' αταρξεί
ἀμφιλογον μόχθον, καὶ ὁ μὴ ἀνόνητ' εἶσ' εἶ).
εἰ διακριβολογῆ; τὰ βυάκια ἐνθα τ' ἀληθῶς
ὃ μέλανα περὶ ῥόνι, ἀμείνωσιν τὸ ἔμαζ
ἀἴτε ἀτὰρ χρυσῦρρυτα, αἴτ' ἐκλευκα, τὰ μᾶλλον
ἀκρον ὀρέγωσιν πανδοξίας ᾧ Φίλε παμπαν,
καὶ τὰ περίσχωσιν καμάτων ἐπίλασιν ἀπάντων,

M. GEORGIUS LIST. Lips. LL. S.

SACRA DE I mihi verba placent, placet usq; morari
IN verbis Domini; siquidem hæc alimenta dedere
Prompta mihi semper, fratri, patriq; atavisq;
Sint licet exigua ac nobis non jugera culti
Magna soli: Tamen & tauros adjunxit aratro
JOVA PATER, nostro, premeret cum serior ætas
Jam patrem; & mea paupertas traducit amaræ
Me vitæ; Fratri & varios dat terra colores.

Ast aliter visum est tibi: Nam sunt multa virorum
Ingenia; & sensus tot, quot sunt ipsa cerebra.
Non dabit hinc minimos tibi JUSTINIANUS honores,
Quàm GALENUS opes cultoribus, atq; Poëtis
Donat APOLLO: Precor, constans sententia menti
Cuilibet ex animo maneat. Quia cura fatigat
Te anxia tutelæ tituli pro tempore, cura
Codicis usq; tibi melior sit, quàm fuit ardens
Tutorum nostri: Sic nomen & omen habebis
Et Patris & curæ; cunctis memorabile nomen.

FRANCISCUS EWVENINGIUS,
Brunopolitâ-Saxo.

B 3

Justi-

Justitia sacra divinas discere leges
Laus est, & magnis gloria magna viris.
Sedulus has quisquis si nocte dieq, revolvat
Leges, Justitia premia digna feret.
Non labor hunc frangat, juris, virtutis & aequi
Eximiam laudem qui meruisse studet.
Non labor hunc frangat, sine quo laudabile quicquam
Esse nequit, laus est, quod facit esse labor.
Ergo Schvartzbachi, laus est, mysteria juris
Noscere dum discis mente, labore, fide.
Dum divina sacri perdiscis dogmata juris,
His de gratantur, quos tibi junxit amor.
Ergone solus ego taceam? Tibi grator amico,
Doctrinam juris noscere quod cupias.
Sedulus urge ausus, non desine, fortius urge
Gressum, ut sis Patriæ spesq, decusq, tuæ.
Dicam quod superest, hoc nam superesse videtur:
Vive DEO & Patriæ tempus in omne tuæ.

MELCHIOR RITTERUS Jurâ. Sil.

FVco figuræ, cum IovE proferam,
Solerte triplum Morphea genticæ
Meridiem fregisse noctu
Semianimi: Suboles docere.
Eheu Clientum pensiculo manum
Tutoris orbam, sollicitantium
Fatale Tutani gubernal,
Et regimen Fidei precatu,

Evax

Evax inaurat gratia discolor
Florum, vireti divitis æquora;
Admordet atrato fluento
Rivulus, Eunomiæ placendus.
Parent Patrimæ dia viraginis
Momenta. Vernat cui juvenum indoles
Dotata virtuti? Quis ille?
Expediat mihi nunc haruspex.

Eremander.

P*Rimitijs applaudo tuis carissime Schvvartzbach,
Ac quoq; nunc metris gratulor hisce tibi.
Det DEUS, ille DEUS Zebaoth, DEUS ille JHOVA,
Ex voto cedant ut tibi cuncta tuo.
Quæ tibi discendi nunc apta occasio præsto est;
Providus hanc, Michaël, vix redit illa, cape.
Non Te pæniteat Clarijs sudâsse sub hortis;
Telaq; fortuita sæpè tulisse Dea.
Post exanthlatos restat, mihi crede, labores.
Mansura extremos gloria ad usq; rogos.*

MICHAEL HENNINGIUS
Boleslâ-Sil.

Faint, illegible text

Faint, illegible text

MICHAEL HENNINGUS
1643-81



Leipzig, Diss., 1593/1613

ULB Halle

3


004 954 793



V. 17







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

TATIO TELIS.

ante Clementiã

nia Lipsiensi

MELIO Lipsiensi,
enciando.

n proponit
RTZBACHIUS, Zit-
fatus.

horis locod, consuetis.

s, Anno clõ lo C XV.

1615

10

166

